Werk

Titel: Analecta

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1866

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0001|log51

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

info@digizeitschriften.de

ANALECTA.

XXII. Timocreontis Rhodii notissimum carmen est,

ὤφελέν σ', ὦ τυφλὲ Πλοῦτε, μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάσσῃ μήτ'
ἐν οὐρανῷ φανῆμεν, ἀλλὰ Τάρταρόν τε ναίειν κἀχέροντα·
διὰ σὲ γὰρ τὰ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά.

adscripsit hoc scolion vetus interpres ad Aristophanis Acharnensium v. 531 ab eoque sumpsit Suidas in *σκόλιον* vocabuli explicatione. *ὤφελέν σ'* ab Ilgeno scriptum est: legebatur *ὤφελες*. tum *μήτε γῇ* Brunckius scripsit: legebatur *μήτ' ἐν γῇ*. deinde *φανῆμεν* Bergkius: libri *φανήμεναι*, ex quo alii minus scite *φανῆναι* fecerant. denique libri versu non pleno habent *διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά*. Mehlhornius post *πάντ'* addendum esse *ἔστ'* existimavit: mihi lenius visum est adicere articulum. sed multo gravius est patienter toleratum esse *μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆμεν*, quasi terra et continens terra inter se opponi possint. ineptum esse *ἠπείρῳ* illud librariorum vidit Schneidewinus pulchreque intellexit scribendum esse *οὐρανῷ*. atque hoc ipsum posuisse Timocreontem omnino certum mihi videtur esse. sed minime utendum erat eadem mutatione in Aristophanis versibus, in quibus omnia recte se habent, si autem mutantur, plane non intellegitur quomodo in Timocreontis carmine aptissimum illud *οὐρανῷ* in *ἠπείρῳ*, quod et absurdum ibi est et illius vocabuli litteris valde dissimile, depravari potuerit. sunt autem Aristophanis versus hice,

ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὐλύμπιος
ἤστραπτ' ἐβρόντα ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα,
ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκόλια γεγραμμένους,
ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτε γῇ μήτ' ἐν ἀγορᾷ,
μήτ' ἐν θαλάττῃ μήτ' ἐν ἠπείρῳ μένειν.

nihil in hac scolii Timocreontei *παρωδίᾳ* dignum est vituperatione. neque enim *γῇ* et *ἠπείρῳ* inter se opposita sunt, sed scolion ita mutatur ut prima divisio haec sit, *μήτε γῇ μήτ' ἐν ἀγορᾷ* (in quo fori

commemoratio aptissima est ac paene necessaria, terrae vero et fori oppositio non perversa, sed scolio in aliam rem detorto faceta), tum autem altera sequatur divisio *μήτ' ἐν θαλάττῃ μήτ' ἐν ἠπείρῳ*. itaque cum in Aristophanis versu recte scriptum esset *ἠπείρῳ* (quod multo magis placet utpote quod magis ad rem pertinet quam si diceretur *οὐρανῷ*), additum in adnotatione scolion ad Aristophanis verba male adcommodatum est vocabulo quod illic verissimum est inepte huc translato.

XXIII. Iphigenia Euripidis Taurica v. 1061 ss. Dianam ita adloquitur,

ἀλλ' εὐμενὴς ἔκβηθι βαρβάρου χθονὸς
εἰς τὰς Ἀθήνας· καὶ γὰρ ἐνθάδ' οὐ πρέπει
ναίειν, παρόν σοι πόλιν ἔχειν εὐδαίμονα.

verissime Hermannus 'gravius quid' inquit 'quam *πόλιν ἔχειν εὐδαίμονα* hic dictum vellem. non enim recte opposita sunt *βάρβαρος* et *εὐδαίμων*, cum non satis perspicue appareat *βάρβαρον χθόνα* hic incultam esse intellegendam. rectius humanitatem et expertem crudelitatis pietatem Athenarum commemorasset.' omnino *εὐδαίμονα* illud non posse ferri mihi videtur. nam si felicem urbem intellegimus, sane nec perspicue nec recte barbarae terrae opponitur. tum ubi *πόλιν εὐδαίμονα* dici percipimus traducimur fere ad opulentiae cogitationem, quae a sententia Euripidis aliena est. multa rectius dici possunt, veluti *πόλιν εὐνομουμένην*, quod omnia conplectitur quae barbarae feritati opposita sunt. ac tale quid Euripidem scripsisse puto, sed, quo ponderosius orationem finiret, usum eum esse gravi et specioso quodque minus tritum esset vocabulo. quali usus est si scripsit *παρόν σοι πόλιν ἔχειν εὐθήμονα*.

XXIV. Misere depravata sunt quae in scholiis in Clementem Alexandrinum p. 105 16 Kl. leguntur, *Ἀρσινόη· ταύτην τὴν Ἀρσινόην τινὲς μητέρα Ἀσκληπιοῦ φασί, τινὲς δὲ Κορωνίδα. ἔστι δὲ ἡ Ἀρσινόη Λευκίππου θυγάτηρ, ἡ δὲ Κορωνίς φησι λέγουσιν οὕτως*. sed facillima est emendatio: nam scribendum est *ἡ δὲ Κορωνὶς Φλεγύου*. Phlegyam patrem Coronidis inde ab Eoeis Hesiodi multi commemorarunt. quomodo autem fieri potuerit ut *Φλεγύου* in *φησι λέγουσιν οὕτως* detorqueretur facile intelleget quem aut veterum librorum usus aut Bastii tabulae edocuerunt quibus notis, praesertim in scholiis similibusque libris, haec tria verba scribi soleant.

Non minus certa emendatione alia corrigi possunt quae in his scholiis depravata sunt: immo antequam ex Parisino libro omnia ede-

rentur quaedam in eis rectissime erant emendata quae postea sine suspicione dimissa esse miror. p. 113 26 memorabile legitur epigramma,

Μνήματα καὶ Φρηνός τε καὶ ἀντιθέου Μυκερήνου
καὶ Χέοπος κατιδὼν Μάξιμος ἡγεσάμην.

scribendum esse *Μνήματα Κεφρῆνός τε* sponte adparet, neque fugit Osannum Syll. inscr. p. 413. idem vidit Letronnius (*Mélanges d'érudition et de critique historique* p. 412), neque is minus recte *ἠγασάμην* scripsit. alia et per se facili opera emendantur et potest emendatio inde sumi unde scholion sumptum est. de ludo qui *φαινίνδα* dicebatur haec scripta sunt p. 135 9, *ὠνόμασται δὲ ἢ ἀπὸ Φαινίνδου τοῦ πρώτου εἰπόντος ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν.* scribendum esse *εὑρόντος* facile erat videre: qui tamen non videret poterat apud Pollucem IX 105 invenire, à quo haec sumpta sunt. ab eodem Polluce IV 128 petita sunt quae p. 98 5 ss. leguntur.

Nolo persequi ad quos auctores pars horum scholiorum referenda sit: est enim res partim minime obscura, partim de ea alias non nulla fortasse disputabo. hic unum tantum proferam, quoniam addere posse mihi videor scitu non inutilia. longum illud scholion quod p. 94 9 ss. legitur sumptum est ex Photii bibliotheca p. 321ᵃ 34 ss. Bekk. pariter quae p. 114 18 ss. narrantur Photii sunt p. 535ᵇ 26 ss., sumpta illa ex Helladii *πραγματείᾳ χρηστομαθειῶν.* excerpsit autem Photius ita ut versiculorum Helladii formam, quemadmodum saepius fecit, ex parte conservaret. itaque non temere plane neque frustra fecero si hos fere versus restituero,

ἐπ' ἐξόδῳ κόπτουσι παρὰ τοῖς κωμικοῖς
θύρας διότι οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν αἱ θύραι
τὸ παλαιὸν ᾤγνυντ', ἀλλ' ἐναντίῳ τρόπῳ.
ἔξω γὰρ αὐτὰς ἀνατρέποντες ἐνδόθεν
ἐξῄεσαν, πρότερον δὲ τῇ χειρὶ ψόφον
κρούοντες ἐποίουν, ὥστε τοὺς ἐπὶ τῶν θυρῶν
γνῶναι φυλάξασθαί τε μὴ πληγεὶς λάθῃ
ἑστώς τις ἄφνω τῶν θυρῶν ὠθουμένων.
τὸν Λοξίαν γὰρ προσεκύνουν, ὃν παρὰ θύραις
ἕκαστος ἱδρύοντο, καὶ βωμὸν πάλιν
ποιοῦντες αὐτῷ στρογγύλον καὶ μυρρίναις
στέφοντες ἵστανθ' οἱ παριόντες, κἀκάλουν
τὸν βωμὸν ἁγυιᾶ Λοξίαν, παρὰ τοῦ θεοῦ
νέμοντες αὐτῷ τὴν προσηγορίαν. τὸ δὲ
κνισᾶν ἁγυιὰς τοῖς θεοῖς θύειν λέγει.

non sum tam fatuus ut credam me in singulis omnibus illud ipsum quod Helladius scripsit adsecutum esse. sed si ultimum versum recte constitui, remota Hesiodi commemoratione Marckscheffelii in Hes. fragm. p. 385 dubitatio paullo quam ille voluit aliter tollitur. Photius haec scripsit, *τὸ δὲ κνισᾶν ἁγυιὰς παρὰ Ἡσιόδῳ τοῖς θεοῖς θύειν λέγει.* servavi *λέγει*, quamquam eodem plane modo dictum non memini me legere apud antiquum et probum scriptorem. sed Helladius ita loqui potuit. Eunapius p. 7 Boiss. *Μάλχος δὲ κατὰ τὴν Σύρων πόλιν* (delendum fortasse *πόλιν* intellegendumque *γλῶτταν*) *ὁ Πορφύριος ἐκαλεῖτο τὰ πρῶτα· τοῦτο δὲ δύναται βασιλέα λέγειν.* de Hesiodo autem ut ego quoque dubitem illud potissimum facit quod nulla eius fit mentio in doctissima Harpocrationis expositione p. 4 Bekk. iam cum versus excludat illud *παρὰ Ἡσιόδῳ*, veri admodum simile est addidisse id Photium non fida satis memoria deceptum.

XXV. Varro de lingua Latina v p. 79 Sp. haec scribit, *arae* (ita Lachmannus: *et arae* minus recte Muellerus, *ea re* liber Florentinus) *Sabinum linguam olent quae Tati regis voto sunt Romae dedicatae. nam, ut Annales dicunt, vovit Opi Florae Vedio Iovi* (*floreue dioioui* Flor.) *Saturnoque, Soli Lunae Volcano et Summano, itemque Larundae Termino Quirino Vortumno Laribus Dianae Lucinaeque. e quis non nulla nomina in utraque lingua habent radices, ut arbores quae in confinio natae in utroque agro serpunt* (*serpent* Flor.): *potest enim Saturnus hic de alia causa esse dictus, et sic Dianae* (*dianę* Flor.); *de quibus supra dictum est.* cum *Dianae* dicit intellegit hanc Sabinam et illam cuius nomen p. 74 Latino veriloquio interpretatur, *hinc quod luna in altitudinem simul eat, Diviana appellata:* Saturnum et Opem principes in Latio deos dicit p. 63 nomenque Saturni ab satu deducit p. 69. ad *Annales* Lachmannus in quodam exemplari suo dubitanter adscripsit 'Ennii?'. puto vix esse dubitandum. adgnoscuntur enim longi versus hice,

vovit Opi Florae Vedio Iovi Saturnoque,
Soli Lunae Volcano et Summano, itemque
Larundae . . . . . Quirino
Vortumno Laribus Dianae Lucinaeque.

quodsi ita scripsit Ennius, in hac congregandorum nominum necessitate ausus est *Iovi* ex iambico facere bibreve, et peti potest excusatio ex simili correptionis genere scaenicis poetis usitato. Prellerus autem cum in Mythologia Romanorum p. 235 *Vediiovi* scribendum esse dixit Muellerique *Vedio Iovi* inprobavit, neque ad Florentini libri litteras sa-

tis attendit neque in hac causa Martiani Capellae testimonium recte contempsit. *Summano* correpta ante vocalem ultima vocali non offendit. immo simili fortasse artificio vetus poeta *Termino* adcommodavit versui. etsi enim scimus eum adpellativi nominis nominativum casum aliquotiens fecisse *Termo*, in dei tamen nomine *Termoni* dativum protulisse veri admodum dissimile est. sed quomodo Termini nomen versu concluserit certo dici non potest: contraxit enim Varro quae post *Larundae* proxime sequebantur. arae a Tatio Laribus dedicatae Ovidius meminit Fast. v 131 ss.

praestitibus Maiae Laribus videre kalendae
aram constitui signaque parva deum.
arserat illa quidem Curibus, sed multa vetustas
destruit et saxo longa senecta nocet.

in quibus versibus mirum est et paene ridiculum commenta librariorum doctos homines multis modis perturbasse, cum quod meliora exemplaria habent *ara erat* una tantum littera a vero distet, plane autem nulla *ars erat* quod in libro Mallersdorfiensi, qui optimos auctoritate aequat et fere superat, a prima manu scriptum est. extitit tandem qui non caecuttiret Henricus Iordanus in Annalibus instituti archaeologici t. xxxiv p. 328. similiter atque Ovidius poetae saepe locuti sunt. Vergilius Georg. iii 490 *neque inpositis ardent altaria fibris*, Aen. iii 279 *votisque incendimus aras.* Lucretius iv 1237 *adolentque altaria donis.* Vergilius Aen. vii 71 *castis adolet dum altaria donis.* Aeschylus Agam. 91 *βωμοὶ δώροισι φλέγονται.* sed quod idem Iordanus novitia quaedam exemplaria ex parte sequitur scribitque *arserat illa quidem Laribus*, id minus probo. verissimum est enim *Curibus*, id est Sabinis. Ovidius Fast. ii 480 *Romanis iunxerat ille Cures*, Metam. xiv 778 *sati Curibus.* nam oppidi nomen sane ineptum esset.

Addam his alia quaedam quae ad Varronem pertinent.

Libro de lingua Latina v p. 44 Sp. haec docet, *oppidum Interamna dictum quod inter amnis est constitutum. item Antemnae quod ante amnis, qua Anio* (ita Lachmannus: Flor. *quanto*) *influit in Tiberim, quod bello male acceptum consenuit.* eadem nominum explicatio et sumpta fortasse a Varrone est apud Paulum p. 17 M., *amneses appellantur urbes sitae prope amnem, ut a mari maritimae. unde Interamnae et Antemnae dictae sunt, quod inter amnes sint positae vel ante se habeant amnes.* insigni autem stupore abusus esse videtur ea interpretatione Isidorus, qui Orig. xix 2 7 dum navium partes persequitur ita dicit, *antemnae autem dictae quod ante amnem sint positae: praefluit enim*

eas amnis. Hemsterhusius Anecd. p. 130 hoc ad Varronis verba male intellecta rettulit: mihi Festi potius adnotatione Isidorus videtur esse abusus.

Versiculus Varronis latet in Arte grammatica Iuliani Toletani I 17 180 p. 39: latet, inquam; nam in paucorum manibus liber ille versatur. *Varro 'ponam bisulcam et crebrinodosam arundinem.'* senarius versus ita restituendus est,

ponam bisulcam et crebrinodam arundinem.

addendum est *crebrinodus* lexicis, quae *multinodus* habent.

XXVI. Quae Lachmannus in commentario Lucretiano p. 190 de *cale facis* similiumque verborum duplici accentu, hoc est de verbis in duas voces divisis, disputavit, ea vituperata esse scio, confutata esse nondum credo. nam Lucretii illud *facit are,* Catonis *ferve bene facito,* Varronis *perferve ita fit, facit putre, consue quoque fiunt, excande me fecerunt,* haec omnia mihi quidem aliquanto minus mira fieri videntur si putamus divisum accentum ad traicienda aliisve interiectis separanda verba invitasse. et videor mihi duplicem eiusmodi dictionis accentum manifesto deprehendere apud Senecam de vita beata cap. 26 2. *vos* inquit *domus formosa, tamquam nec ardere nec ruere possit, insolentes, vos opes, tamquam periculum omne transcenderint maioresque sint vobis quam quibus consumendis satis virium habeat Fortuna, obstupe faciunt.* si haec ita pronuntiamus, oratio plana et perspicua est: contra obscura est et licentia offendit a Latino sermone, nedum a Senecae usu aliena, si scribimus et pronuntiamus *obstupefáciunt.*

XXVII. Anno DCCCXLIX aut paullo postea Ermenricus, qui tum monachus erat Augiensis (Elwangensis antea fuerat, postea autem factus esse videtur episcopus Pataviensis), Ermenricus igitur vitam sancti Galli versibus scribere instituit. quod opus num perfecerit ignoramus, prooemium eius ab Arxio editum est in Pertzii Monumentis Germaniae t. II p. 31 ss., vel potius pars prooemii, nam omissi sunt multi versus quibus Ermenricus ad Graecas fabulas aberravit. vellem hos quoque editos esse: neque enim scitu indignum est qualis fuerit non indocti ut illo saeculo hominis eruditio. nam etiam editi versus habent quod proferendum esse putem in eorum notitiam qui antiquas litteras tractant, sed ad monachorum carmina raro descendunt. cum Augiam describit Ermenricus inter alia haec dicit,

caeruleos hinc, Rhene, sinus tu dirigis altus
communesque vias diversa per arva relaxas,
fraternis cumulandus aquis per rura virescis.

sumpsit hos versus ab Ausonio, qui haec scripsit in Mosella v. 418ss., *caeruleos nunc, Rhene, sinus hyaloque virentem Pande peplum spatiumque novi metare fluenti, Fraternis cumulandus aquis,* tum v. 433 *communesque vias diversa per ostia fundat.* pergit Ermenricus

accedent vires quas Francia quasque Chamaves
Germanique tremant, cunctis et gyrus in arvis,
cumque unus de fonte fluas, dicerere (l. *dicere*) *bicornis,*
accedet tanto geminum tibi nomen ab amni.

versus sunt Mosellae 434 435 437 436, nisi quod Ausonius scripsit *tunc verus habebere limes,* quod cur Ermenricus in *cunctis et gyrus in arvis* mutaverit videre facile est: quamquam quae servavit non multo quam illud melius saeculo eius conveniebant. postea haec dicit,

optimus in fluviis, o Rhene, vocaris in orbe,
remipedes medio cui certant flumine lembi
et varios ineunt flexus viridesque per oras
stringunt attonsis pubentia germina pratis.

primus versus Ermenrici est, reliqui tres Ausonii v. 201ss., quos ille ita suo carmini aptavit ut Ausonianum *certant cum* in *cui certant* mutaret. pergit

reddis nautales vitreo sub gurgite formas
et redigis pandas inversi corporis umbras,
utque agiles motus dextra laevaque frequentent
et commutatis alternent pondera remis
unda refert alios simulacra humentia nautas,
ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
fallaces fluvio mirata redire figuras.

haec omnia Ausonii sunt v. 224ss.: sed Ausonius *reddit* et *redigit* scripsit, tum *frequentant* et *alternant*, et haec quidem duo verba ne Ermenricum quidem mutasse crediderim. extat autem et hodie quidem Turici liber Rhenaugiensis in quo Mosella Ausonii scripta est, quo libro usus est Boeckingius. is saeculo duodecimo exaratus est, sed descriptus esse potest ex eo libro quem Ermenricus in eodem Augiae monasterio videtur legisse.

M. HAUPT.